Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1437

Quelle:
Copyright:

tii: *Omne datum &c. Jac. 1. dicit beatus Gregorius, omnis christi actio nostra est instructio* &c. Aetas horum Sermonum aliquantum innotescit e *Serm. de Corpore Christi*, in quo *fol.* 71. legas: *Et notanter Apostolus dicit: Ego enim accepi a domino et non a pseudopropheta nec a dyabolo nec a suis membris hereticis sicut fecerunt maledicti heretici hussite volentes et predicantes non solum sacerdotes sed et populum communem laycalem viros et mulieres communicari sub duplici specie* &c. Autorem vero adsignare difficile est; nam, qui nomen suum *Indiculo* ad calcem *Codicis* subjecit, *Vlricus Strobel de herczogpirpawm*, Librarius potius fuisse videtur.

CCCLXXVIII.

898 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 258. 4. per duas columnas descriptus et rubricis enotatus, pertinensque olim, ut in ora infima primi folii legitur, ad Civitatem *Lymburg*, Germanis *Nimburg* in Prov. *Bolesla-viensi Bohemiae*, juxta praemissum adcuratum Indicem, continet sequentia *Joh. Wiclefi*, qui, ut solet, post tabulam latet, Opuscula: I. *Incipit tractatus de Officio pastorali.* Initium: *Cum duplex debet esse officium christiani* &c. Ne Lectores perpetuis ab uno *Codice* ad alterum remissionibus fatigem, ad primum hunc Scriptorum *Wiclefianorum Codicem* monuisse sufficiat: Scripta ea omnia in *Indice* diligenter sub unum conspectum esse posita, quo recurret, cujus intererit.

II. *fol.* 22. p. 2. *Incipit de vatisinatione.* Initium: *Cum secundum sanctos spectat ad officium doctoris ewangelici* &c. ut alibi.

III. *fol.* 25. *De triplici vinculo amoris.* Initium: *Tria sunt vincula amoris* &c. ut alibi.

IV. *fol.* 33. *Incipit de nouis Ordinibus.* Initium: *Secundum apostolum ad ephe. 6. non est nobis colluctatio* &c. An Opusculum, quod *Baleus* inscribit *De origine Sectarum?* Constat 3. Capitibus.

V. *fol.* 36. *De Detectione perfidiarum antichristi.* Initium: *Paulus docet ad ephe. 4. quomodo christi ecclesia debeat diligere vnitatem* &c. ut alibi.

VI. *fol. eod.* p. 2. *De gradibus cleri ecclesie.* Initium: *Quidam secularis probus zelator veritatis* &c. ut alibi.

VII. *fol.* 37. p. 2. *De demonio meridiano.* Initium: *Frons meretricis facta est populo* &c. ut alibi.

VIII. *fol.* 39. p. 2. *De concordacione fratrum cum secta simplici christi.* Initium: *Cum Cristus sit primus et nouissimus* &c. ut *Cod.* CCCCIV. ubi inscribitur *de Sectis Monachorum.*

IX. *fol.* 43. p. 2. *De ordine christiano.* Initium: *Ad declarandum veritatem fidei et omnem errorem perfidie* &c. ut alibi.

X. *fol.* 47. *Incipit Tractatus de Eukaristia et penitentia Et secundum alios de Confessione.* Initium: